



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

D. Dionysii Carthusiani, luculenta iuxta ac compendiaria in Acta apostolorum exegesis siue commentaria

Dionysius <Cartusianus>

Coloniæ, 1532

VD16 D 1926

Explanatio 6 cap. In diebus autem illis art. 6

urn:nbn:de:hbz:466:1-38702

1. Pet. 4. nimus. Ideo scriptum est ; Communicantes Christi passionibus gaudete, vt & in reuelatione gloriæ eius gaudeatis. In omni ergo aduersitate inordinatam tristitiam repellamus, & Christi passionem ac multiplicem patientiæ fructum oculis cordis stabiliter proponamus, scientes quod omnes qui placuerunt deo per multas tribulationes transierunt fideles. Qui autem tentationes non susceperunt in timore dei & in patientia sua, exterminati sunt. **Iudi. 8.** **L**Omni autem die non cessabant in templo & circa domos docentes publice & priuate & euangelizantes Christum Iesum. In quo patet maxima fortitudo fidei charitatisq; feruor istorum, qui in regia, pontificali; vrbe nec verbis nec ictibus poterant a dei opere cohiberi. Et vtique nisi diuina potestate eorum opus eorum fuisset fulcitum, mirum & incredibile videretur, quod principes Iudæorum vel vno die permisissent eos in vita aut ciuitate sua metropolitana, sed vt dictum est, non est consilium contra dominum.

¶ Explanatio capituli sexti. Indiebus autem illis.

Articulus sextus.

Quia hoc libro sanctus Lucas primitiuę statum ecclesiæ proposuit scribere, nõ solum Apostolorum facta & verba enarrat, sed & cæterorum fidelium. post Apostolos precipue. Et quoniam in ecclesia presbiteri & sacerdotes constituunt & sequuntur diaconi, nunc de ordinatione septem primorum diaconorum texit historiam. In diebus autem illis crescente numero discipulorum. eorum videlicet qui per Apostolos conuertebantur ad Christum. Christiani vero tunc generaliter vocabantur discipuli, vt infra habetur. Quotidie autem plurimi conuertebantur. factum est murmur Græcorum aduersus Hebræos. Per Græcos hic intelliguntur vel Iudæi in dispersione inter Græcos nati & educati, vel Græci & aduenæ ex gentilitate conuersi, & in Hierusalem commanentes. **L**eo quod despicerentur in ministerio

quidiano .i. dispensatione seu administratione victua-
 lium & temporalium [viduarum eorum] puta Græcorum.
 Quod tripliciter intelligi potest. Primo quod Hebræi in mi-
 nisterio quotidiano viduas suas tanquam eruditiores Græco-
 rum viduas præferrebant, & sic Beda exponit. Secundo quod
 viduarum Græcorum in ministerio isto nimium grauaba-
 ntur, seu ad viliora agenda deputabantur. Tertio quod
 viduis Græcorum, non tam bene ministrabantur necessa-
 ria, ut viduis Hebræorum. Sed cum superius dictum sit
 quod multitudinis credentium erat cor vnum & anima
 vna, & singulis ministrabatur sicut indiguerunt, quomodo
 in tam sancto collegio inuenta est ista dissensio. Est respō-
 dendum, quod numero discipulorum crescente orta est
 murmuratio ista, non enim omnes æque perfecti fuerunt
 & in tanta multitudine fuisse aliquos imperfectos, mirum
 non est. Imo ut Clymacus refert, quidam illorum facti fu-
 erunt hæretici. [Conuocantes autem duodecim] .i. s.
 Apostoli [multitudinem discipulorum] dixerunt. Non
 est æquum nos derelinquere verbum dei .i. a predicari-
 one cessare [& ministrare mensis] .i. in victualium
 corporis amministrazione occupari. Spiritualia enim
 in tantum sunt temporalibus præponenda, quanto anima
 corpore extat præstantior, & qui sunt ad sublimiora offi-
 cia, diuinioreque actus instituti, non debent immoderã-
 ter sine necessitate, circa viliora intendere, ne a princi-
 palioribus impediuntur. Denique meliora sunt fercula
 mentis quam ventris, & ut Rabanus ait, his verbis ostendunt
 Apostoli Episcopos & doctores non debere cor-
 poralibus implicari, dicente Apostolo: Nemo militans
 deo implicat se secularibus negocijs. Hinc etiam Ie-
 tro consuluit Moyse, ut præset populo in his que sunt ad
 deum, & maiora duntaxat iudicaret negotia, minora
 vero substitutis principibus, iudicibusque committeret
 put in Exodo habetur [Considerate ergo fratres vi-
 ros ex vobis] .i. de vestro collegio [boni testimonij]
 .i. famæ honestæ [plenos. scilicet & sapientia] .i. euidenter
 virtuosos, & sufficienter eruditos, quantum humano
 modo coniecti potest aut sciri. Tunc enim fuerunt ibi quãplu-

su. Act. 4

2. Tim. 2

Exo. 18

IN ACTA APO. EXEG.

res tanta gratia decorati, q̄d certum fuit eos .ss. imple-
 tos. ¶ Septem. ¶ Tot enim ad literam p̄babiliter vide-
 bantur ad opus administrationis sufficere. Per quod
 mystice figuratur q̄d in diaconatū, p̄mouendi, debent
 septemplici dono .ss. ornari. ¶ Quos constituamus sup
 hoc opus. ¶ administrationis corporalium, vt ipsi ea
 ministrent, vel ministrantibus p̄sint. ¶ Nos vero ora-
 tionī, & ministerio verbi insistentes erimus. ¶ Per mi-
 nisterium verbi p̄dicatio designatur. O vtinam p̄lati
 ista attenderent, quorum iam plures, plus q̄ oportet,
 decet, aut licet, circa temporalia occupantur, in exteri-
 oribusq; ȳsantur, quia mente sunt frigidi, nec in spiri-
 talibus exercitijs habent saporem. Hinc effunduntur,
 negligentes seip̄os & sibi commissos. ¶ Et placuit ser-
 mo coram oī multitudine. ¶ q̄ malum murmurationis
 optabant extingui, & vt boni filij patrum suorum con-
 cilio tam rationabili celeriter acceuerunt. Quod & cū
 ctis subditis est pensandum ac imitandum. Præterea
 in verbis p̄fatis notatur ordo in electione seruandus.
 Electio enim primo fieri debet cum disc̄retione atque
 concordia, q̄d notatur, cum dicitur consyderate. Sc̄do
 ex charitate: Ideo subditur, fratres. Tertio vn̄ de gre-
 mio ecclesiæ eligi debet. Hinc sequitur, ex vobis. Quar-
 to qui eligitur debet esse bonæ famæ, p̄p̄ proximorum
 ædificationem. Iccirco subiungitur, boni testimonij.
 Quinto erit virtuosæ conuersationis quo ad deum. I-
 deo additur, plenos. ¶ Sexto erit in scripturis instruct̄.
 Propter quod sequitur, & sapientia. Postremo, talis de-
 bet esse, vt magis cupiat prodesse quam præesse, per-
 pendens se potius vocatum ad onus quam ad honorē.
 Iccirco annectitur, quos cōstituamus super hoc opus.
 ¶ Et elegerūt Stephanum plenum fide. ¶ quæ est virtus
 theologica, seu fidelitate, quæ ad iusticiam pertinet
 ¶ & spiritu sancto. ¶ per quod insinuat̄ cunctis fuisse
 plenus virtutibus. Sed in primitiua ecclesia fides fuit
 specialiter commendanda tanquam fundamentum vir-
 tutum, & quia tunc valde necessaria fuit fidei fortitu-
 do propter persecutores, itemq; ob difficultatem sub-

dendi intellectum articulis fidei, quod est rationem in captiuitatem redigere. L. & Philippum. De isto Philippo diacono infra scribuntur sublimia, vñ & ipse & ceteri qui sequuntur pleni fuerunt fide. L. & Prochorum, & Nicanorem, & Timonem, & Parmenam, & Nicolaum aduenam Antiochenum. qui vt fertur de gentilitate fuit conuersus ad iudaismum. Vel forte immediate ad Christianismum, & de Antiochia fuit, de quo occasionem erroris sumpserunt quidam, in Apocalypsi Nicolaitæ vocati, asserentes, mulieres debere esse communes. Q. & Thomas in summa contra gentiles affirmat hunc Nicolaum dixisse. Alij tñ dicunt, quod ipse non dixit hoc, sed cum haberet mulierem pulcherrimam, & accusaretur de immoderato amore ad eã, volens se excusare, ait corã Apostolis. Ecce coniunx mea, qui vult ea vtatur. Quod (vt isti asserunt) ipse nõ dixit ea mente qua sentiret vsum fœminarum debere esse communem sed vt per huiuscemodi modum loquendi se plenius excusaret. Verum quidam peruersi ad mala p̄cliuēs, eiusq; verba iuxta suam concupiscentiã interpretantes, sumpserunt ex eis occasionem erroris. Hos statuerunt añ conspectum Apostolorum. I. puto autem quod & hi septem electi etiam elegerunt, sicut in electionibus collegiorũ ac cœnobiorũ qui eliguntur & eligunt. L. & orantes. I. ipsi Apostoli. L. imposuerunt manus. I. secundũ Rabanũ hic ordo seruandus est, vt. s. populus eligat, eps ordinet. Et quia Apostoli cũ orõne & manus impositiõne ordinauerunt istos diaconos, in ordinib. dãdis fiunt orõnes, & in qbusdã ecclesijs manus tpe ordinationis imponuntur diaconis. In Scholastica quoq; fertur historia, quod horũ septem priorũ diaconorũ vicem gerunt archidiaconi, propterea instituti vt portent p̄odus negotiorũ, q̄tinus p̄dicationi ac doctrinæ liberius vacent ep̄i. L. Et vbum dñi crescebat. I. p̄dicatio Ap̄lorũ fructificabat. L. & multiplicabatur numerus discipulorũ in Hierusalẽ valde. I. quia pluriimi conuertebantur. L. Multa etiam turba sacerdotum obediebat fidei, rationem suam fidei subiñciendo, in quo

Apoca. 2

elucescit infinita misericordia Christi, quod illos conuertere dignatus est a quibus tam importune atq; crudeliter fuit expetitus ad mortem, In quibus specialiter est impletum, quod ante passionem Christus prædixit.

Ioann. 8. Cum exaltaueritis filium hominis tunc cognoscetis quia ego sum. ¶ Insuper aduertendum quod sicut in libro hoc beatus Lucas duorum præcipuorum Apostolorum actus & verba specialiter prosequitur ac describit, videlicet Petri & Pauli, ita & prædictorum septem diaconorum, duorum præcipuorum verba actusque prosequitur, scilicet Stephani & Philippi, non enim omnia scribere potuit. ¶ Stephanus autem plenus gratia & fortitudine ¶ Paulo ante dixit eum plenum fide & spiritu sancto, nunc gratia & fortitudine, ut monstretur sanctus Stephanus fuisse vir Apostolicæ perfectionis, & quia iam eius martirium descripturus est apte præmittit, quod fortitudine plenus fuit, tam illa quæ est virtus moralis & cardinalis, cuius est in periculis mortis esse constantem, tam illa quæ est donum, cuius est opibus perfectionis constanter insistere. ¶ Faciebat signa & prodigia magna in populo ¶ quæ sanctus Lucas breuitati studens non, psequitur. ¶ Surrexerunt autem quidam de synagoga libertinorum ¶ Isti Iudæi, increduli dicti sunt libertini, quia manumissi. i. libertati donati fuerunt, cum prius serui fuissent, sicque conditionis fuerunt seruilis qui fidei restiterunt ¶ & Cyrenensium, ¶ a Cyrene, quæ est ciuitas Lybiæ secundum Bedam, ¶ & Alexandrinorum ¶ Id est, de Alexandria vrbe Egypti ¶ & eorum qui erant a Cilicia, & Asia ¶ quæ sunt regiones vicinæ adinuicem ¶ disputantes cum Stephano ¶ volentes probare, quod Iesus non esset Christus in lege promissus. ¶ Et non poterant resistere sapientiæ ¶ Stephani ¶ & spiritui ¶ .i. spiritui sancto ¶ qui loquebatur ¶ per Stephanum, sicut ait Saluator. Non enim vos estis qui loquimini, sed spiritus patris vestri qui loquitur in vobis. Vel spiritui, id est, animæ Stephani qui loquebatur, sicque implebatur in Stephano illa Christi promissio. Ego dabo vobis os & sapientiam cui non poterunt resistere &

Matt. 10.

Mar. 13.

Lucæ. 21.

contradicere omnes aduersarij vestri. Tunc submise-
 runt viros. scilicet falsos testes. qui dicerent se audi-
 uisse eum dicentem verba blasphemiae, in Moysen & in
 deum. sicut fecerunt regi ita & militi, nam & contra
 Christum produxerunt falsos testes Iudaei. Est autem
 proprium peruersorum, vt cum ratione praeualere non
 valent, sequi rationabiliter conuinci prospiciunt, ad cal-
 liditates & violentias conuertantur. Sic egerunt & isti.
 Commouerunt itaque. id est ad iram & zelum indiscretum
 prouocauerunt plebem, & seniores & scribas, id est
 iudices & doctores, & concurrentes rapuerunt eum. cum
 impetu violento tanquam maleficum & adduxerunt in con-
 cilium, & statuerunt falsos testes dicentes. Homo iste
 non cessat loqui aduersus locum sanctum & legem, id
 est templum & legem Moysi per verba blasphemiae detrahit.
 Audiuimus enim eum dicentem, Quoniam Iesus Na-
 zarenus hic destruet locum istum & mutabit traditio-
 nes. id est leges seu ordinationes & obseruantias quas
 tradidit nobis Moyses. Etiam si Stephanus haec verba
 dixisset, non fuisset blasphemia secundum veritatem,
 sed secundum Iudaeorum istorum aestimationem. Ro-
 mani enim Christi potestate destruxerunt urbem & tem-
 plum Hierusalem. Caeremonialia quoque legis Christus
 mutauit in melius, & alias dedit institutiones viuendi
 ac deum colendi quam Moyses. Verum excaecati Iudaei
 putabant caeremonialia & iudicialia legis praecipua post
 Christi aduentum semper seruanda sicut moralia. Ni-
 hilominus testes isti mentiti sunt, vel Stephanus verba
 ista non dixit, vel ea non dixit eo sensu quo ipsi ea pro-
 posuere. Sic enim ea proposuerunt, quasi Iesus asseru-
 isset se legalia mutaturum, quasi simpliciter reprobans
 ea, vel quasi omnia mutans. Christus vero ita non dixit
 nec Stephanus, imo Christus testatus est: Non veni le-
 gem soluere sed implere, id est, perficere. Caeremonia-
 lia enim figuratiua fuerunt, quae in Christo impleta sunt
 atque in ecclesia. Praecipua quoque moralia euangelicis per-
 fecit consilijs. Et intuentes in eum omnes qui sede-
 bant in consilio, viderunt faciem eius tanquam faciem

IN ACT. APOS. EXEG.
angeli .i. splendidissima claritate ac miro decore per-
fulam, per quod internæ perfectionis magnitudo, pu-
ritas & innocentia monstrabatur. In quo Moyfi parifi-
catus est Stephanus. Nam & Moyfi vultus præ splen-
dore a ludæis aspicere non valebat. In tali autem & tan-
ta maiestate ostendit deus ludæis Stephani vultum, vt
conuerterentur ad veritatem si vellent, aut si nollent,
de sua obstinatione inexcusabiliores ac damnabiliores
redderentur. Porro in scripturis canonicis non legitur
homo, vultum huiuscemodi habuisse in terra coram ho-
minibus nisi Christus in transfiguratione, & Moyses
ac Stephanus, in quo magna valde Stephani excellen-
tia innotescit.

¶ Elucidatio capituli septimi. Dixit
autem.

Articulus septimus.

Dixit autem princeps sacerdotum, si hæc ita se ha-
berent. ¶ Quoniam accusato dandus est locus excusa-
tionis, & responsionis, princeps sacerdotum tanquam iu-
dex sciscitatus est Stephanum, an in sibi obiectis esset
culpabilis. ¶ Qui ait: Viri fratres & patres audite. ¶
Sanctus Stephanus respondens verbis modestis ac blandis
in exordio usus est, quia vt scribitur in Prouerb. Re-
sponso mollis frangit iram. ¶ Deus gloriæ apparuit
patri nostro Abraham. ¶ Quatuor obiecta fuerunt Ste-
phano. scilicet blasphemia in deum, in Moysen, in legem, in
templum. Ideo de his quatuor se excusat, & primo de
blasphemia contra deum, quem deum gloriæ nuncu-
pat, quia in ipso est beatitudo & gloria infinita, & ab
ipso vita gloriæ profluit. Ipse quoque est maiestatis immen-
sæ, apparuit autem Abraham per subiectam creaturam. scilicet an-
gelum. ¶ cum esset in Mesopotamia. ¶ quæ est regio sic di-
cta, quia media inter aquas sita est, inter fluuios videlicet
Euphratem, & Tigridem. ¶ priusquam moraretur in
Charram. ¶ quæ secundum Bedam est vrbs regionis Meso-
potamiæ, & in Genesi dicitur Aran. ¶ & dixit ad illum.
Exi de terra tua, & de cognatione tua, & veni in terram

Prou. 15.

Gene. 11.